



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica decima

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

Dominica X. post Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

Duo ascendunt ad templum orantes : unus superbus Phariseus ; alter humilis publicanus. Primus repellitur : Recipitur secundus. Fili ! detestemur fastum, & superbiam Pharisæi ; imitemur autem publicani humilitatem. Superbis resistit Deus : Humilibus dat gratiam. Peccavimus ? bone ! cum publicano percutiamus peccatum, & humiliemus in oculis Domini capita nostra !

Instructio meritoria.

Humilitatem virtutum Reginam, ut & sibi, & suis impetrat, per septem dies quotidie unum ex Psalmis pœnitentialibus coram Crucifixo, vel Sanctissimo recitet : Quin ut cum publicano in omni simplicitate cordis coram Domino Deo in dies ambulet, ab hodierno die vim naturæ inferat, & sedere ad mensam discat erecto semper, & ab omni pariete vel sedili libero corpore sub tessera hodierni Evangelii : *Domine ! propitius esto mihi maximo peccatori.* Pergamus in

118 Dominica X. post Pentecosten.

in hoc exercitio , & magni erimus coram
Domino. Hic humilitatem respicit,
non commoditatem.

II.

Quid in Pharisæis , & hypocritis , ac
omnibus impiis periculosissimum
propria confidentia. *Confidunt enim in*
se tanquam justi , qui extremi interim
sunt hostes Dei. O miseros ! quos pro-
pria excæcat confidentia ! Fili ! si justi
fumus , in nosipso confidere non debe-
mus , nec bonum , quod possidemus ,
nobis adscribere condecet. Unde enim
justi ? unde boni ? unde pii vel devotii
nónne Dei gratiâ fumus id , quod sumus ?

Instructio meritoria.

Tinea est propria complacentia , & in
suas vires nimia confidentia. Confidit
Lucifer, confidit & Adam cum mille aliis.
Quò devenerunt ? heu ! legamus Scri-
pturas , & exhorrescens. Ad debel-
landam hanc cruentam bestiam cui libet
operi in nostro cubiculo , vel cellâ per-
agendo flexis genibûs tria *Ave* cum to-
tidem *Gloria Patri* : Et collectam:
Actiones nostras quæsumus Cr. præ-
mit-



mittamus, nōsque mentaliter Omnipotentiæ, Sapientiæ, & Bonitati Divinæ affectuosè commendemus. Hic quid difficultatis? non video. Fiat igitur, quod summopere placebit SSS. Trinitati. Quid habes, quod non accepisti?

III.

Charitas fraterna ô quām preciosum Dei munus! sed cur inter homines tam rarum? quia dantur multi, qui aspernantur cæteros. Sunt verba hodierni Evangelii. Estne evidentior superbiæ nota contemptu, vilipensione nostri proximi? ô fili! spernimus fratrem, jam sprevimus Jesum. *Quod enim uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Tali illusori & contemptori quid expectandum in die Judicii? lata jam est sententia? *Nescio vos.*

Instructio meritoria.

Ad implantandam solidam, & radicalem nostrūm ipsorum vilipensionem, & estimationem omnis proximi 12. actus propriæ excellentiæ, & complacentiæ contrarios exerceamus, & exercitos per manus R. Patris Spiritualis SSS. Trinitati

120 Dominica XI. post Pentecosten.

tati offeramus. Porrò pro illis, quibus natura nostra videtur minus devota, aut favorabilis, opera totius diei hodiernæ immolemus Crucifixo. Et hoc est rapere violenter cœlum! si non volumus resistere naturæ corruptæ, resistet Deus. Heu! & hoc quâ violentiâ, ira, rigore, furore?

Dominica XI. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

Miracula quis nescit Christi Jesu? haec ne cui dicerent Apostoli, præcepit in hodierno Evangelio Dominus. O fili! si Dei Filius jactantiam fugit, & elationem: Quomodo nos affectemus? qui elatus est, sedet in cathedra pestilentiae, estque discipulus cadentis Luciferi. Et hunc nos sequi?

Instructio meritoria.

Superi avertant! elatum cor, ait S. Bern. expers est pietatis, & compunctionis. Contrahamus sanctam consuetudinem ad laudes humanas erubescendi, & ad alienas cordialiter gaudendi, easque ampliandi. Laus propria sordet: Nec adu-

